

D. D.  
DISSERTATIO ACADEMICA,  
DE

# MURE INDICO

QUAM,  
ANNUENTE EXPR. FAC. MEDICA  
IN ILLUST. AD SALAM ATHENÆO,

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI,

## DN. DOCT. CAROLI LINNÆI,

SÆ RÆ MÆTIS ARCHIATRI,  
MED. ET BOTAN. PROF. REG. ET ORD.

EQUITIS AURATI DE STELLA POLARI,

*Nec non*

ACAD. IMPER. N. C. MONSPEL. BEROL. TOL. UPSAL.

LOND. HOLM. SOCI ET PARIS. CORRESPOND.

*PUBLICÆ BONORUM CENSURÆ SUBJICIT*

### JOHAN' JUSTUS NAUMAN,

O GOTHUS. *XVIII Dec*

IN AUDIT. GUSTAVIANO D. XX. NOVEMBR.

ANNI MDCCLIV.

H. A. M. C.

U P S A L I Æ,

MAECC. LAUR. M. HÖJER, Reg. Acad. Typ.




APOTHEKAREN,  
uti Siö, och Stapelstaden NORKÖPING,  
Ädle och Högacktade HERREN,  
**H:R JUSTUS HENRICH  
N A U M A N,**  
*Högtårade kåraste Fader.*

**N**og ville hvar och en rättfinnig, med samma mått, bemöta sina välgöreres godhet; men som intet alla åga af himmelen lika förmögenhet, utan den ena mer, en annan mindre, så kunna somlige dubbelt, och andre till någon del betala, hvad de undfådt; somlige åter, ehuru de åtnjutit stora välgerningar, åro doch aldrig i stånd at de samme vedergålla. Hulde Fader! jag har af Eder rönt mer än många faderliga välgerningar, och det i en obelkriflig ymnoghet, alt ifrån min födflostund, men däremot ser jag mig alsintet hafva, eller få, som, på något sätt, kan svara emot denna mina kåraste Föräldrars ömsinta hjerta för min välfärd; doch hoppas jag, at et tackfamt och vördnadsfult sinne, i brist, på all vedergålning, med vanlig gunst, af Eder emottages. I den förmodan, framlägger jag för Eder, förstlingen af mit akademiska arbete, jämte trogen önskan, det ville den Alsvåldige Skapsven, Eder, mina, kåraste Föräldrar, så hådan efter, som tillföre, låta njuta, hvad tiil en sann lyckfalityhet fordras, samt efter en lång, och välsignad lefnad, mårta Eder med sin himmelska goda. Så önskas hjerteligen af den, som med all upptrånkelig sonlig vördnad till dödsstunden framhårdar.

*Högtårade kåraste Faders*

*Lydigste son*  
**JOHANNES JUSTUS NAUMAN.**













D. D.

C. I.



um Animalium, præ omnibus, quæ Tellus producit, consideratio sit multo jucundissima, tum præcipue Quadrupedum historia insigni se commendat amœnitate, quippe quæ naturæ Auctori tabrefecit absolutissima.

Veteres dudum bifariam Animalia dispeticuisse constat, in *perfectiora* scilicet & *imperfectiora*. Hæc autem distinctio recentioribus se minus probavit, quibus omnia animalia visa sunt, saltem in suo genere, perfecta. Ast ut ut horum veram largiamur esse sententiam, contendimus tamen non ab onam esse illorum adsertionem, cum animantia consideramus comparate; sic jure enim meritoque optimo

A

ea



ea nuncupamus perfecta, quæ pluribus instructa sunt sensoriis, quibus res discernant; adeo ut quæ oculis, auribus, naribus & ceteris sensibus, quibus cernant, audiant, olfaciant, sunt prædita, perfectiora sint aliis, quæ iisdem destituuntur facultatibus: Atque hoc respectu Quadrupeda nobis audiunt perfectiora.

Hæc ipsa QUADRUPEDA diversimode se suaque curant; sollicitudo illa, qua scetus suos educant, qua alimenta comparant, vitam tutantur, hostes vitant vel adgrediuntur, & ratio, qua hæc atque alia, quæ ad œconomiam ipsorum spectant, perficiunt, adeo in variis est varia, ut ne stupidissimus quidem, nisi summa cum admiratione, instinctus ac mores eorundem pensitare possit. Hinc mirabundus indignatus sum, scientiam hanc, quæ res tractat multo curiosissimas & amœnissimas, quæ sapientissimam Sapientissimi Conditoris institutionem nos conducet, esse adhuc in illarum numero, quas dilucide minus expositas esse, dolet genus humanum.

Historiam quidem animalium ALEXANDRI dudum Magni munificentia elaborari cœptam fuisse; idque ante jacta a Theophrasto Botanices fundamenta, non diffiteor, attamen vix digna judicata est, quæ in scientiarum numerum ab eruditis reciperetur, & jacuit fere, usque quo seculare illud ingenium, GESNERUS in Helvetia, ipsam in lucem proferret, & hominibus denuo exponeret.



Assiduus ille Italus ALDROVANDUS, quo hanc scientiam locupletaret, collegit incredibile pene labore omnia, quæ de animantibus indagare potuit commemorata; quo tamen ipso tantum abfuit, ut integra conderetur scientia, ut potius plurimum ceperit detrimenti, cum fabulis veterum ac commentis tota quanta deformaretur. Hanc talem JONSTONUS quidem suscepit repurgandam, verum ad augeæ stabulum repurgandum non Pygmæus quidem, sed Hercules requirerebatur.

RAJUS Angliæ illud decus, hanc etiam ventilandam sumsit, verum enim vero, inanibus paleis dissipatis, parum integri solidique remansit.

Hodieque, quicumque hanc scientiam proponunt Auctores, variis ei ac conquisitis undique veterum fabulis ornatum conciliare student, unde tam reddita est deformis atque invita, ut eruditi vel ipsum Zoologiæ nomen avertentur. Ast cum de genere humano, ceteras historiæ naturalis absolvendo partes, plurimum meritis sit Nob. Dn. Præses, tum de discipulis suis præcipue, quibus hanc privatim tradidit historiæ, qua auditorum adeo cepit animos, ut nemini displiciturum confidam, quod carptam hanc ex legentis ore Historiæ naturalis particulam elegerim, specimen eruditionis academicum editurus.

Observationes nuperrime institutæ evincunt, posse utique & debere hanc scientiam alia prorsus methodo, quo nitorem, quem insitum habet, & honorem, quem meretur, etiam assequatur propo-



ni. Sic e. g. delineatus est. URSUS cauda elonga-  
 ta *Act. Stockb. 1754.* MURES norvegici *Act. Stockb.*  
*1740.* CANIS domest. in *Cynogr. Dn. Lindekrantz &c.*

Incrementa Historiæ naturalis debemus maximam  
 partem Medicis, qui, quod plurima medicamen-  
 ta suppeditat regnum vegetabile, Botanicen præ-  
 cipue coluerunt. Ast cum pauciora longe submi-  
 nitret regnum animale, illis non est succentendum,  
 si hoc curiosius illustrare tantisper neglexerint. Fa-  
 teor equidem hujus noticiam non magis a Medico,  
 quam ab aliis exigi posse, attamen insimul medi-  
 ci indagine hanc imprimis dignam esse urgeo, cum  
 anam præbeat, animum adiuuandi ad instituen-  
 das observationes. Is enim dubio procul in medi-  
 ca arte egregia præstabit, qui obvia quævis atten-  
 tissime observare didicerit. Quod si perpenderi-  
 mus quantum luminis temporibus novissimis acces-  
 serit huic animalium historiæ, fateamur ulro, ne-  
 cesse est, eam haud minoris, quam reliquas scienti-  
 as, esse faciendam, licet nondum auctoritate pu-  
 blica constitutum sit, ut in academiis proponatur  
 diligentibus a propriis Docentibus.

Historiam AVIUM industrie a VILLUGBÆO  
 pertractatam egregie dehinc excoluerunt RAJUS,  
 ALBINUS, EDVARDUS, CATEBÆUS, Angli, quibus  
 hoc nomine summas debemus gratias. His etiam  
 accensendus est FRISCHIVS Germanus.

Historiam PISCUM princeps explanavit VIL-  
 LUGBÆUS & ejus Epitomator RAJUS, quæ tandem  
 ab ANTEDIO nostrate reformata, in formam disci-  
 plinæ



plinæ redactata est, atque a **CATESBÆO** demum aucta.

Ad historiam **INSECTORUM** illustrandam pro rata contulerunt **MOUFFETUS**, **GOEDARTUS**, **MERIANA**, **ALBINUS**, **RÖSLER**, **WILKES**, **SWAMERDAM**, **LISTER**, **FRISCH** sed præprimis Galliaë illud decus **REAMURIUS**, cujus laudabilia vestigia laudabili studio pressit Nobiliss. **DE GEER** nostras.

Historia **VERMIUM** silet adhuc, quamvis Testacea, per **Kirkerum**, **BONANNUM**, **LISTERUM**, **RUMPHIUM**, **GUALTIERUM**, **ARGENVILLIUM**, exposita sit non perfunctorie.

Immo vero Principium jam Europæorum maxima est voluptas, ut Mætea instituant, atque illis se oblectent, præsertim cum hæc dilucidissime infinitam Dei optimi maximi loquantur sapientiam ac potentiam.

Itaque, uti ex antecedentibus id patet, historia Quadrupedum minimum est elaborata, licet cæteris hæc longe excellent animantibus, Mihi, cum hac tempestate latius exspatiari non liceat, unum omnino animalculum attentius considerare proposui, cujus descriptionem neque a scopo alienam esse, neque Specimine Academico indignam judico. Elegi nempe **MUREM INDICUM**, qui interdum, quamvis rarius, in nostra Suecia cultus visitur, & a naturæ quidem curiosis, licet voluptatis magis quam lucri ergo, diligitur, atque eam inprimis ob causam, quod, quamquam ab omnibus quibuscunque obviis hic vulgo discernitur, a Zoologis ta-

men



men Europæis non nisi obiter forte descriptus sit; Quod meum propositum, ut æqui rerum, censores æqui bonique consulant, enixe rogo.

II.

Pertinet vero hoc animal ad ordinem *Quadrupedum*, qui *Glires* continet, cum utraque ejus maxilla & superior & inferior non instructa sit nisi duobus dentibus incisoriis, nullis autem caninis, sed pluribus molaribus.

Errant itaque, qui ad suillum genus, in ordine jumentorum, hoc referunt, eo quod instar porcelli grunniat, & collum supernetectum sit setis rigidioribus, unde id *Porcum maritimum*, falso nomine, appellarunt.

Porro ad genus *Murinum* spectat, neutiquam vero ad leporinum, sub quo militant Cuniculi, quamvis id opinati sint Marcgravius & Piso. Cuniculus enim satis evidenter distinctus est ab adfinibus eo, quod dentes bini primores maxillæ superioris duplicati sint, sive, quod a parte interiori succenturiati sint dentes duo minores; quod idem & in Lepore; & in Cuniculo obtinet.

Quod si character a dentibus molaribus delumeretur, fateor hos proxime ad Castoris dentes accedere, cum molares hi serie duplici sint ita locati, ut quasi in maxilla quidem superiori divaricati, in inferiori convergent. Sed dentes primores Castoris cum apice transversi sunt, tum superiores introrsum excavati, quod in nostro aliter invenitur. Neque vero ad familiam *Sciurorum* commode reduci



duci potest, quippe qui dentibus maxillæ inferioris primoribus instructi sunt compressis, at Mus Indicus non ita. Præterea ipse corporis habitus hoc satis discriminat, quo & Castor sub aquis optime degit, & Sciurus saltu sepernicissimo in arborum ramis exercet; quorum neutrum Muri Indico competit. Patet itaque ad Mures accedere hoc animalculum, quibus cum & facie externa & moribus, & dentibus congruit.

Latissime autem, post numerosam Simiarum gentem, patet genus hocce murinum, & completitur Quadrupedia minutissima. Mures quidem vilissima atque abjectissima esse animalcula opinatur vulgus, ut non nisi cum fastidio de his loquatur, & tantum non omnes mirantur stupendas Indiorum belluas, Elephantos, Rhinocerotas &c; ast equidem credidero, minutiora non minus, quam majora, summi opificis sapientiam & potentiam testari luculenter; Etenim, quod hæc præstant mole, id illa multitudine; quod hæc robore, id illa incredibili velocitate perficiunt. Itaque si Elephas vasto corpore & robore sit formidabilis, utpote qui ædes hominum concutere ac proculcare potest; exiguus, quem spernimus, Mus easdem ubique perforare valet; adeo ut unicum hoc sit animal, quod intra ligneos parietes contineri nequeat. Elephas unum omnino singulo triennio, si bene agitur, fœtum parit, ast Mus innumerabili prole fœcundus est. Et si cui volupe fuerit hæc animalia minuta eorumque effectus computare ac majoribus



ribus illis conferre, næ dubius is hærebit, utra alteris sint præferenda; ut taceam fibram minimam Muris esse æqualem fibræ Elephanti, si quidem fides habenda observationibus Leuvenhœkianis.

Præterea non minori cum admiratione excipimus historias vulgalissimorum Murium, quam historias rarissimorum animalium Indorum, e.g. *Mus* ille alpinus *Marmota* dictus, tanta cum velocitate terram vel duriores perfodit, quanta vix posset robustus instrumentis armatus putearius; et hic quidem per Europam circumfertur, & instar portentosi ostentatur spectandus, perinde ac si ab Indiis inde esset arcessitus.

*Mures Norvegici* ex alpibus nostris egrediuntur, adjacentesque regiones inundant tanta copia, ut numerosa Artaxerxis ipsius agmina numero superent, & majores nostri, cum e nubibus excuti hanc turbam putarent, metu perculsi, publicos Diis supplicationum dies decreverint, ut averruncarent, quam nullis inquam remoris periculisve cedere stupebant.

*Mus ægyptius* in Act. Upsal. A:o 1750. a Dno HASSELQUIST descriptus, lectoribus admirationem incutit; scilicet animal quadrupes, non nisi duobus incedens pedibus & pernitate incredibili ad instar jaculi locum mutans.

*Gliræ*, cognata Muribus animalia, apud Romanos quondam, quando luxuria jam mores eorum corruerat, in deliciis numerabantur, ut tandem ulus eorum edicto censorio vetaretur. Atque hæc exem-



exempla adduxisse sufficiat, ut constet errare illos, qui hæc animantia aliis, majoribus licet, inferiora ac viliora esse judicant.

### III.

*Species Murium* cum plurimæ sint, imprimis distingui & discerni possunt notis a cauda & pedibus defumtis, quibus species hæc, præ aliis omnibus quadrupedibus, ab invicem mirum quantum discrepant.

*Cauda* quibusdam: 1. est nulla. 2. aliis brevis & quasi truncata, ut Muri norvegico, Citillo. 3. in nonnullis ipsum corpus longitudine superat, & hæc vel nuda est, vel pilis tecta, extremitate floccis ornata, ut in Mure ægyptio.

*Pedes anteriores* plerisque sunt tetradactyli, at *posteriores* pentadactyli, qui tamen iidem quibusdam sunt etiam tridactyli, uti v. g. Muri ægyptio, Muri indico, Muri javanensi apud CATESBÆUM v. 3. tab. 18.

*Auriculæ* quibusdam sunt nudæ, aliis pilosæ, nonnullis breviores, aliquibus nullæ, e. g. Citillo.

Jam, ut ad *Murem nostrum Indicum* veniam, observamus, 1:mo nullam ei esse caudam, 2:do pedes posteriores esse tridactylos, 3:tio auriculas esse magnas, rotundas, nudas. Has notas si tenueris, utique ab aliis omnibus facile dignosces hunc.

### IV.

Ut Scriptorum monumenta evolventibus constet,



stet, quibus alias Nominibus venire soleat, lubet illa ipsa, ne inter legendum hæsitent, obiter adferre: Sic vocatur.

*MUS cauda nulla, palmis tetradactylis, plantis tridactylis. It. W-Goth. 244. Syst. Nat. 6. pag. 20.*

*Cuniculus Indicus Gesn.*

*Porcellus indicus l. Cuniculus indicus. Fonst. quadrup. 161. tab. 63. fig. 6.*

*Mus seu Cuniculus americanus gvineensis porcelli pilis & voce. Raj. quadr. 223.*

*Cavia Cobaija. Marcgr. bras. 224. fig. 224. Pis. bras. 102. f. 3.*

*Patria* hujus animalculi est America australis, præsertim Brasilia, uti & Africa atque imprimis Gvinea. Nos vero id in adibus nostris alimus, cum & frigoris sit impatiens, & felium insultibus expositum, quæ & genus ejus discernunt sagacissime & persequuntur acerrime.

*Descriptio:* Caput ovatum crassiusculum: Rostro obtuso, rotundato, undique pilis tecto. Labium superius bipartitum, sed clausum. Labium inferius longe minus superiori & brevius, unde os sub rostro apparet. Vibræ plurimæ, capite breviores, utrinque ad latera rostri. Setae circiter tres supra canthum oculi anteriorem, & totidem pone aut fere infra canthum oculi posteriorem.

*Nares* minimæ, curvatæ, transvertæ. *Oculi* fusci, prominentes.

*Palpebræ* margine nudo. *Auricule* pilis paullo longiores, rotundatæ, obtusissimæ, repandæ, extus nudæ,



nudæ, ut venæ pelluceant; intus subpilosæ. *Collum* brevissimum & fere nullum. *Truncus* cylindricus, æqualis & gibbus. *Pedes* ratione magnitudinis breves. *Manus* metatarsis incedentes, quadripartitæ; digito extimo brevioræ, *Unguibus* acuminatis armatæ; Subtus autem manus nudæ sunt, cum calcaneo obtuso. *Pedes posteriores* paullo longiores, plantis magis oblongis, angustioribus, calcaneis sive tarsis incedentes, subtus nudi: *Digitis* fere æqualibus, profundius partitis: *Unguib* longioribus, teretioribus. *Cauda* omnino nulla, & ne vestigium quidem. *Pili* absque vellere, conferti, minus molles supra collum, seu potius a vertice capitis ad scapularum regionem longiores, erectiores, rigidiores.

*Genitalia* externe vix distingvunt sexum. *Mammæ* in femina tantum duæ.

*Color* in hoc genere adeo varius est, ut dictu sit multo difficillimum, qui huic animanti sit peculiaris, cum vix duos, sibi invicem omnia similes, conspicerè detur. Sunt tamen plerique variegati, mistis scilicet ex albo, rubro, nigro diversimode coloribus; Quæ res in animantibus cicuribus est frequentissima, cum in feris sit rarissima. Ast in hoc genere id memorabile est, quod, nempe, *Maregravius* colorem observaverit in sylvestribus æque esse inconstantem, ac in mansuetis.

*Magnitudine* accedunt proxime ad *Glires*, *Sciuris* enim obefiores sint & *Cuniculis* multo minores, ita ut medium inter utrosque tenere videantur; Sed varia est itidem statura. *Visi* enim sunt alibi terra-

*Quidam dicitur*



rarum duplo majores his, quos in Horto Botanico apud N. D. Praesidem descripsi.

Ex antecedentibus colligitur facile, non esse huic animanti pedes anteriores hexadactylos, & posteriores pentadactylos, ut tradidere GESNERUS, PISO, ALDROVANDUS &c, recte enim a RAJO in Syn. quadrup. descripti inveniuntur.

*Anatomiam* hujus animalis proposuit, teste RAJO, GEORGIUS ENTIUS, apud Charletonum, in Mantissa anatomica, quo otium mihi hac in re fecit, at cum scripta ista non sint in promptu, in L. B., quæ inde excerpta adduxit RAJUS.

*Pulmones* utrinque in lobos divisi erant, quorum duo admodum parvi. (D. Entius ternos tantum in utrovis latere lobos pulmonibus attribuit, quorum infimus valde exiguus; superior autem bifidus cernebatur.). *Hepar* in septem dividebatur, e quibus itidem duo perexigui. *Fel* ex albo lutescebat; *Perum obolidochum & meatum cysticum* habebat; *Intestina* longa convoluta: *excrementa* ut in leporibus & cuniculis in pilulas coacta; (D. Entio Scybala nucleorum pineorum instar oblonga sunt) qualia nempe murium, qualiaque ipsi hi cuniculi excernunt. Hujus autem rei hanc, inquit, causam arbitror, quod colon, alicubi acuto angulo curvatum arctaque complicatum, durefcenti jam stercorei ductum longiorem non concedat, *Cæcum* ingens, et jam ventriculo majus, extrema tamen parte gracilescens, in cellulas ligamentorum validorum ope  
divi



divisum, quemadmodum colon in homine. Juxta cæcum *appendix* seu tuberculum parvum cernebatur; *Intestinorum* longitudo a ventriculo ad cæcum 65 erat digitorum (D. Entio 56.); ab ano ad coli partem illam, ubi excrementa in pilulas formari incipiunt, digiti erant 26 (D. Entio 25  $\frac{1}{2}$ ); E glandulis juxta anum alba & foetida materia exprimitur. *Penis* ingens, deorsum caudam versus reflecti videtur, juxta meatum, per quem genitura exit, foramen est, in cujus fundo glandulæ duæ, albæ, æquales, molles, inter anum & penem magna cavitas est, ut in lepore, e cujus lateribus alba & foetida materia exprimitur. *Moriens* ejecit crassum liquorem, amyli similem. Sub vesicæ urinariæ collo vesiculæ feminales extendebantur, cornibus uteri similes, 4 unicas longæ, exiles & extremitatibus suis intortæ.

*Dentes primores* in superiori maxilla duo, incurvi, truncati & fere trigoni, sed antè l. exterius rotundati. *Dentes primores inferiores* rectiores, introrsum compressi, apice subacuminati.

*Dentes Molares superiores* duplici phalange palatum occupant, antè valde approximati & fere contigui, constat etiam singula series ex quatuor dentibus, ad latera extrorsum vergentibus, truncatis & quasi e duobus dentibus singuli compositi.

*Dentes molares inferiores* utrinque quatuor, introrsum conniventes, & horum anteriores longiores & apice fere contingentes, singuli quasi ex duobus dentibus cum tertio intermedio angustiori constructi.



structi, unde non illepide dentes molares litteram **W** exprimere statuunt Auctores. *Canini* autem omnino nulli sunt. *Cranii* vero figura magis accedit ad *Cuniculi* quam ad *Sciuri* aut *Castoris* figuram, cum sit oblonga, attamen oculorum orbita minus elevata est.

V.

Inter illa, quæ in Zoologia tradi solent, *Mores* præcipue atque ingenia animalium delectare solent lectores curiosos, illos nempe, qui huic se scientiæ non totos dediderunt, sed animi tantum gratia historia solum oculis pererrant, de principiis systematicis parum solliciti. Et fateor equidem lubentissime, etiam eos, qui circa illam historiæ animalium partem subsistunt, intuituros esse mirabilissimam prorsus & infinitis modis variatam supremi Numinis institutionem. Cum occasionem non habuerim hæc animantia in patria ipsorum considerandi, sat habebō mores illorum domesticos, in hospitio, quo illa excipimus, observatas levi penicillo adumbrare.

*Cibus* quidem varius est, sed ex vegetabilibus tamen fere omnis desumptus e. g. Hordei grana & Secalis, Pulticulæ, Panis vel masticatus vel aqua aut lacte maceratus, Gramen recens vel siccum, Cortices, Rami, Folia arborum, ut Betulæ, Pini & Abietis, folia Lactucæ, Brassicæ &c. Victum autem hibernum & quidem optimum præstant Dauci radices & Frumenta varia. Quod si Oleribus diu nimis alantur & imprimis Brassica fimbriata, obser-  
vavi



vavi diarrhoea eos colliquativa correptos periisse. Adeoque ut secunda valetudo sustentetur, ita instituenda est diata, ut iis interdum succulenta, interdum sicca exhibeantur, hos enim, ut & homines varietas delectat. Hinc sæpe, dum suavissimos Dau-  
 ci gustant radices, mox hos relinquunt & sicca frumenti grana comedunt appetenter, vicissimque hæc aspernantur & Fœnum vel aridos stipites eligunt, ipsa quasi natura his monstrante, qua ratione alia aliis temperari debeant. Quocirca dum aptiora desunt edulia, Chartam masticant, vel Vestes lineas laneasve; unde, si in ædes recipiantur, sedulo videndum, ne, vestimenta arrodendo, hospiti damnum inferant. Inter edendum aliquoties quidem bibunt, sed postea diutius masticant cortices, stipites vel culmos, atque alia sicca, levis nutrimenti edulia. Cum Frumenti illis grana porriguntur, unum omnino granum ore recipiunt, quod dentibus primoribus incidunt, antequam molaribus conterant. Caput inter masticandum sursum & deorsum motitant, & granum istud diligenter mansum tandem deglutiunt. Edentes autem nunquam stant, sed sedent. Sedent etiam semper, nisi vel ambulent vel currant; a pastu sæpe diutius sedentes quiescunt, tum vero ritu leporum ruminant, quo assumpta in liquidiorum & subtiliorem chymum redigant. Potum illis gratissimum præstat Lac recens, licet et Aqua contenti sint. Quidquid autem potulenti sit, illud exserta lingua instar felium sordillant, interdum frequentioribus deglutionibus,  
 inter.



interdum capite bis vel ter inter deglutiendum e.  
levato.

*Motus.* rarissime lento gradu incedunt, currunt vero satis velociter, pedes posteriores parum elevantes, situ corporis horizontali. Conjugem plerumque ante se agit maritus. In discurrendo parietes potissimum legunt, latebras, angustias, speluncas inquirunt. Quod si scenum aut stramen ipsis adponitur, in ipso cuniculos agunt, in quibus quietissimi delitescunt. Securitate si frui liceat, omni scilicet strepitu remoto, summa cum agilitate aliquot passus procurrunt, mox subsistunt, arrectisque auribus auscultant, numquid periculi subsit, tum vero, si quid vel levissime crepuerit, perniciosissimo se cursu ad latebras conferunt. Singuli temper fere incedunt, ita ut unus alterius vestigiis insistat. Nonnunquam, dum fame premuntur neque strepitu terrentur, in pedes posteriores se erigunt, quibus tantisper insistentes, huc illuc caput circumducunt, sagaciter adorantes & indagantes, quo cursum dirigant, ut alimenta inveniant. Quod si frigus illos urat, cursum ultro citroque intendunt, ut intensiori exercitio calorem sibi concilient.

Ceterum in hoc fere unice cura eorum versatur, ut semet ornent comantque. Pedes lingua labrisve contrectant, leviter moritant, lambunt atque eluunt, pilos ordinant peccuntque; admodum felium faciem perfricant pede uno, vel binis ut sciurus, lepusve. Crebro corpus fricant vel pone aures, sub ventrem & armos, vel alibi, idque pedibus



dibus & anterioribus & posterioribus; prout scilicet requirit corporis situs atque occasio. Aliquando se invicem comunt & peccunt. Sæpe alteruter alterum hujus officii commonefacit, & quidem sequenti modo: Femina primoribus blande labris pererrat pilos masculi, semel atque iterum eos contractando, uti Mas feminam. Quod si hæc admonitio frustranea est, severiorem adhibendam judicat; Quocirca rostrum ori ejus admovet, voce minaci atque iram indicante. Et tum quidem Mas illam comere solet. Sed cum id faciat sæpe invitus, adeo duriter villos ejus ac pellem vellicat, ut ira incandescat, fremat, & more equi calcitret, dentibus eum petat mordica, atque dolens recurrat. Ast catulos suos patienter comit mater, præsertim fetas colli dorisque studiose potiens. Difficulter scandunt; Præcipitia vix petunt, asserem latitudinis semi pedalis raro superant; raro quoque saltu se exercent, agilitantum inter currendum subsultu corpus jactant. Sepimentis arctis tamen coerceri respuunt, sic enim adversa subito valetudine tentantur, sed spatiosas ædes desiderant. Neque vero clausa nimis domicilia atque angusta inhabitant, multo minus pecorum aut jumentorum stabula, cum aerem purum & ventilatum ament, stagnantem oderint. Lectus eis sæpius, saltem octava quavis die, scæno novo & sicco est sternendus, & conclave ab omni spurcitiæ & sordibus mundandum: Frigus cum non ferant, calorem inquirunt, atque ubi ædes sunt calidissimæ, ibi versantur libenter.



maxime vero eos juvat, ante focum instructum recubare. Calidas, sicubi possunt & molles culcitra eligunt, somno vel quieti indulgentes; adeoque vix alibi somnum capiunt, quam ubi fœnum vel stramen invenerint, equo cubilia forment.

Corporis autem situm, quem eligunt cibum capientes, servant etiam dormituræ, pedes tamen anteriores elevatori loco reponere gestiunt; Idcirco pluries se in gyrum vertunt, dum ad quietem membra componunt, quod situm noctæ sint commodissimum. Ast dormituræ primo tantisper mandunt, deinde vel ore se vel pedibus comunt & tandem obdormiscunt. Et quamquam tantus sæpe sopor fessos gravet, ut caput deorsum reclinetur, oculi tamen aliquantulum aperti manent, ut, ne quid periculi ingruat, circumspiciant, quod etiam mox persentiscunt. Adeoque inter dormiendum lumina frequenter attollunt & circumferunt. Quod si tum altiori non abruantur somno, caput elevatum tenent, nictantes tamen & nutantes, idque tamquam convulsi agitant. Ubi vero somnum penitus excusserunt, atque oculos aperuerunt, olcitant rictu ampliato, mandunt, pandiculantur, pedes imprimis posteriores, quo ad possunt, extendentes, murmurantque paxillum. Mas & femina nunquam fere simul dormiunt, sed mare dormiente, femina excubias agit, cum silentio tamen, quiete, & facie ad dormientem adversa. Tum vero aliquando grunnit femina, ut experiatur, num ille percipiat; quem, si expergestum lenferit, adcurrit.



rit, pilos ejus vellit, abigit, locumque occupat & ad somnum se componit, marito, uti par est, excubias tum agente. Quod si nihil quietem eorum interturbet, per semi horam & ultra dormiunt. Somno recreati vel cibum extemplo petunt vel paulisper ludentes quasi cursitant, atque tum demum pastum se recipiunt. Quiescentes podici insident & armis se fulciunt, parte corporis postica in orbem quasi convoluta, caput erigunt, & pedibus posterioribus nituntur, pipiunt parum vel & omnino silent, & in eodem loco remanentes mandunt, ruminantque.

*Generatio.* Sexum in junioribus præcipue distinguere, haud ita est proclive. Quinta vero a natiuitate septimana masculum sonus gravior prodit. Cavendum ne plures mares una sint, cum major natu minoris dorsum adeo adfligere soleat mordicus, ut hemiplegia correptus, partem posteriorem ægerime trahat, & misere tandem pereat. Mares incredibiliter lascivi sunt, & fœminas persequendo, cum grunitu atque adoratione ad venerem sollicitant. Fœminæ leniores marem rarissime admittunt, licet quædam satis diu fœcundæ maneat. Adultæ vero nunquam ad libidinem sunt proniores, quam eadæ, qua partum sunt enixæ. Tam vero difficillime amaris consuetudine arectur, neque vero opus est, ut diutius contineatur, quam ut occasio ei detur prolem lingendo a sordibus eluendi. Hoc factò denuo concipit. Sic unum hoc animal,



di labores exantlavit, eadem novos celebrat hymenaeos. Dum uterum gerit, pilos caeteris evellit & deglutit, quod, facile inducor, ut credam, ej prodesse, cum alias id nunquam faciat. Pica quoque gravidarum more, eam tunc, laborare crederes, cum obvia quavis, ut cortices, calceos, libros, vestes &c. arrodant crebro, nisi diligentius asserventur.

Præter lapsis quinque a conceptione hebdomadibus, parit foetus gemellos ut plurimum, ternos non nunquam, at vix supra quatuor. Labore ingruente pipiens se contrahit convulsa, & primo unum ore protrahit catulum, cujus umbilicalem dentibus ocysime amputat funiculum, non sine dolorifico sensu pulli, quem pipiendo indicat, & lambendo eum abluit. Quo facto ad reliquos eadem ratione protrahendos festinat. Et pilis catuli & oculis instructi in lucem prodeunt, & post 12 jam horas velocitate pedum matrem æmulantur. Cum non nisi duobus ornata uberibus sit mater, parcam nimio erga pullos fuisse primo intuitu crederes naturam; attamen inde facile agnoveris eandem fatis benignam fuisse, quod hos producat perfectiores, ut, licet recens nati, varia tamen alimenta adsumere & digerere valeant. Non tamen diffiteor sæpissime contingere, ut, nisi lacte nutriantur, vix plures, quam duo perdurent. Quando partus instat, prospiciendum est sedulo, ut scenum matri in promptu sit idque molliusculum, in quo sobolem reponat, nam si in sordes prolabi contingat foetus, in tantum eos averfatur, ut misere intereant.



ant. Præterea a marito tamdiu separanda femina est, quoad progeniem mundaverit. Hoc enim ipsi otium non concedit Mas nimis salax, si ejus habuerit conveniendæ potestatem. Faciendum etiam inprimis hieme est, ut, primo ab enixu nycthemero, in loco calido versetur mater cum prole tenera, quæ aerem frigidiorum fert ægerrime.

*Pathemata:* Porro adfectibus hoc tantillum animalagitari diversis, & primo quidem invidiæ atque iracundiæ tormento vexari observatur. Etenim si vel parum suppetitimenti, quod alteruter sexus forte arripuerit, vel alteruter sedem occupavit commediorum, alter id fert molestissime, tumque iisdem tanguntur invidiæ stimulis, quos in cane taxat tritum sermone proverbium. Neque enim unus tum alteri cedit æqua mente partem, neque eodem in loco, etiam si ambo commode caperet, hic illum una conquiescere patitur. Pleraque vero rixæ suboriuntur de loco calidiori, quem, utut scemina prima occupavit, plerumque tamen, utpote debilior, cedere cogitur marito, qui eam repellit cum voce rauca, atque viam indicante. Ast si annis illa ac scetura fuerit conspicua, vir plerumque loco cedere necessum habet. Scemina enim aggressorem excipit aliquot ictibus, quibus pilos ei & pellem vellicat, ut, dolore coactus & summa cum ira calcitrans, aufugiat. Pugnae autem hoc fere genus est: alter pilos alterius in collo dentibus primoribus adprehendit, & crebris vellicationibus vexat. Hoc qui patitur, agiliter partem  
 poste-



posteriorem vertit ad adversarium, ac Equi instar crebris calcitationibus factis, exsertisque unguibus cutem lateris obversi lacerat. Inprimis vero mares si una fuerint, in se invicem læviunt morfitando, ut alterutrum ore, auribus, &c. vulneratum conspicias, qui & loco cedere cogitur. Iræ vero tum & pugnæ signum exhibet dentium stridor sâtis acutus, quo edito, prælium ineunt.

Quamvis irascantur sat vehementer, iidem tamen sunt perquam meticulosi, atque ad omnia pavidi. Arrecto capite, num quid metuendum ad sit, auscultant attentissime, perspicacissimeque suspicantur. Ac si xel levissimam perceperint strepitum, velocissime anfugiunt. Hinc ægre cicurantur, nisi in iisdem, quibus homines, vertentur ædibus. Ei vero, qui pastum tubministrat, ita adherent, ut edulia de manu ejus recipiant. Fame etiam pressi, dum eum accedentem vident, adcurrunt, querula voce salutantes, atque ab eo, ut porcelli, allici se sinunt. Tractantur vero manibus innocue, cum neque unguibus, neque dentibus homines infestent.

*Sonus* : Mas Cinclum gravi voce imitatur, & ille facile a fœmina dignoscitur, qui stridulum magis sonum profert. Et quando eam pruriens sectatur, divaricatis tremebundus incedit cruribus. Cæteroquin semper loquaces blaterant, ut nunquam fere conticescant, nisi superveniens somnus silentium imposuerit. Famelici, aut a ministro, alimenta præbente; allekti, se proripiant ultro, & gallica voce



voce *ovi*, quam distincte satis pronuntiant, præsentiam & desiderium suum indicant. Si quando gratioribus eos vesci alimentis accidit, voluptatem suam produnt certo Sono, diverso ab illo, quem alias proferunt; hic enim vocem gallinæ glorientis utcumque exprimit. Fœmina ut plurimum præcedere solet, tanquam gallina canens, quam mas comitatur frequens, pedibus posterioribus subsultans & clunes nunc huc, nunc illuc, ad cinædi instar versans. ut reliquos mores taceam, quos infinita attentione una mecum observavit Doctiss. Dom. E. EKELUND.

*Usus* Excipiuntur ab Europæis passim hospitio hæc animalia, ut jucundo spectaculo, quod luscitando ac cursitando præbent, otii tædia fallant, oculosque domini gesticulationibus suis lepidis oblectent. Ast non hac solum voluptate adficiunt hospites suos. Qui enim horum multos alunt, mactant, atque eodem modo, quo porcos solent mulierculæ nostræ, pilis nudatos, assant. Sic enim parati cibum exhibent, ipsis pullis gallinaceis, qui vel delicatori palato tenera se ac sapida carne valde probant, multo gratiorem, suaviozem. De hujus carnibus in cibo ita habet *Mundius* in oper. physico medic. p. 213. Porculus guineensis s. indicus *carnes habet carne Cuniculi minus candidas, humidiores, in cibo suaves & pingues, subflava adipe, larde suum fere simili; is comestus Marmotæ carniū qualitates imitatur.*

S. D. G.



Till Herr AUCTOREN.

Såll människjan bland alla djur,  
Som fådt af Himlen mätta gåfvor,  
Såll hon, som fådt en klok natur  
Och mångfaldt dyra lyckans håfvor;  
Ty när de samfällt brukas rätt  
Då har hon lif ibland de döda,  
Och kan med nöjsam flit och möda  
Till årans högd sig svinga lätt  
En laggran fart på lyckans haf  
Bör vist med konst och kloket skötas,  
Om ej vårt skepp skall gå i qvaf,  
På reftar, berg och klippor stötas;  
Den gnistan utaf sundt förnuft  
Bör eldas jämt af vishets Solen,  
Om hon som stjernan utmed polen  
Skall leda oss till renad luft.  
Se'n kan man tryggt på Pindi fält  
Tillbringa trefallt ljufva dagar,  
Och tappert fågta för de tålt,  
Der Pallas skipar rätt och lagar;  
Sen kan man granska mången sak,  
Och titta skarpst i naturen,  
Beskrifva åfven dumma djuren  
Med liflig färg och vacker smak.  
Min Herre, Er bör sådant pris,  
Som, söken att med konst förmerå  
De pund, som på ett dubbelt vis  
J fådt, och vifen nu bland flera,  
Far fort i ådel bragd och vett,  
Och hvålf man tankan till det höga  
Så skall en gång ej manligt öga  
Begråta hvad Er ungdom skedr.